

ex ipsa etiam Dubicza Beneficia Confiniaria pro Concursu Exolutionis regulatae actu Militiae Banalis Regni Confiniariae applicabuntur, ita e contra, uti in alijs Confinijs, etiam in Dubiczensi Confinio Officialibus Habitatio seu Quarteria, Horti, Foenum, Avena et Triticum, praeterea Expeditio Passualium, nec non Lignatio permaneant; quoad hoc ultimum attamen repetitum Zagradiense Capitulum vigilem Curam adhibebit, ne Sylvae, ad Dubiczam spectantes et quae in bono statu existere dicuntur, quoquo modo devastentur. In novum porro atque conspicuum Regiae Clementiae nostrae, qua fideles repetitorum Regnorum nostrorum Status et Ordines prosequimur, Testimonium, quoad ipsam etiam mediam Tricesimam (cuius Articulus Quinquagesimus quartus novissimae Diaetae meminit), in adiutorium praeiunctae Exolutionis Militiae huius Banalis Regni Confiniariae applicandam, pro speciali omnino antefactorum fidelium Statuum et Ordinum Consolatione opportuna Camerae nostrae Regiae Hungarico-Aulicae sua via Mandata transmittimus. Quam peculiarem Gratiam nostram Caesareo-Regiam eosdem fideles Status et Ordines submississima Animorum suorum gratitudine tanto magis equidem veneraturos clementer confidimus, quo iisdem graves omnino tot tamque diuturnorum Bellorum Injuriis, vix non poenitus exhausti Aerarij nostri Necessitates ulique etiam perspectae existunt. In merito autem exoratae Incorporationis Loci Petrinia, ad Generalatum Varasdiensem de facto spectantis, quive Locus pro accommodatione Supellectilis Militaris regulatae huius Militiae Banalis Confiniariae opportune deserviret, Facta praevisio situs et Qualitatis Loci ejusdem Investigatione, acceptaque superinde genuina et circumstantiali Informatione, sed et ipsa demum Convenientiae ratione attenta, hoc etiam passu Clementiam nostram Caesareo-Regiam pro rei possibilitate experturi sunt fideles antefactorum Regnorum nostrorum Status et Ordines. Iisdem porro fidelibus Statibus et Ordinibus fovendam intuitu desiderati animalium Pascui, ex parte Confinij Jeszenoviczensis, cum vicini Gradiscani Confinij Commendante bonam et mutuam Cointelligentiam, quemadmodum et dicto Confinij Gradiscani Commendanti idipsum per Consilium nostrum Aulae Bellicum intimabitur, benigne hisce committentes. De reliquo in puncto regulandi et stabiliendi in praelibato quoque Croatiae Regno Comereij, benigne omnino curabimus, ut iisdem fideles Status et Ordines hoc etiam in passu, et ad effectum conditi eatenus in novissima Diaeta Articuli vigesimi septimi, optatam proximius consequantur Consolationem. Quemadmodum porro ad Praefecturas Militares, suprafatos Varasdiensem et Carlostadiensem Generalatus respicientes, opportuna eaque seria Mandata Via Consilij nostri Aulae Bellici expediri faciemus, ne ullos Profugos et sine debitis Passualibus oberantes subditos sub gravi secus incurrenda Animadversione recipiant, minus protegant, verum compertos demum proximo Officiali Comitatus insinuent, atque mox ubi tales repetiti fuerint, Provinciali Jurisdictioni resignari faciant, quoniam eadem sit ipsorum Militarium ex dictis Generalatibus ad Provinciam Regni Jurisdictionem Profugientium ratio, benigne omnino atque serio volumus: Ne et hi Militares in Statu Regni Provinciali recipiantur et protegantur, verum comperti proximo Officiali Militari aequae insinuentur, et praemissa Repetitione indilate restituantur. Venerabunde demum recognituros omnino confidimus praelibatos fideles attactorum Regnorum nostrorum Status et Ordines, quod actu jam ordinata et effective consistente mixta Commissione, pro disquirendis multifarijs illis inter Militares dictorum Varasdinensis et Carlostadiensis Generalatuum ac ip-